

927  
Q. D. B. V.

DISPVTATIO THEOLOGICA  
DE  
LEGE  
SABBATHI

QVAM

SVB PRAESIDIO

IOH. GEORG. ABICHT

S. S. THEOL. D. EIVSDEMQUE PROFESSORIS  
PVBLICI PRIMARII, CONSISTORII ECCLESIASTICI AS-  
SESSORIS, TEMPLI OPPIDANI PASTORIS, CIRCV-  
LI ELECTORALIS SAXONICI SVPERINTENDENTIS  
GENERALIS

*PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI*

*SVMMOPERE COLENDI*

IN

ACADEMIAE WITTENBERGENSIS

AVDITORIO MAIORI

D. I. MART. A. R. S. M DCC XXXI

*PVBLICE DEFENDET*

MICHAEL TROSIEN

GEDANENSIS

---

WITTENBERGAE

Coll. diss. A EX OFFIC. EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII.

1, 15

99.

a. J. 18.

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

pp



DISPV TATIO  
DE  
LEGE SABBATHI

---

*PRAEFATIO*



Lurima, ut haud aegre largimur, de Sabbatho, quod illustrandum suscepimus, prostant Eruditorum scripta, eius obligationem uniuersalem grauitèr asserentia alia, alia in dubium uocantia, utraque autem summa cum eruditione concepta, & exquisita doctrinarum antiquitatumque copia adornata. Sed grauissimae ab utraque parte excitatae rationes & argumentorum pondera haud difficulter innuunt, quam grauis haec sit controversia, quantisque laboret difficultatibus. Tot etiam dubia & obiectiones aduersus Sabbathi obligationem a praestantissimis nostrae memoriae uiris formatae, sufficienter probant, non prorsus exhaustum esse totum thema, & euidètibis ita principiis ueritatem eius superstructam, ut nec adiici eidem, nec quicquam obijci cum specie possit. Unde non abs re nos facturos credimus, si & ipsi praesens negotium illustrauerimus, & erutis a prima hominum memoria de Sabbatho legibus, euolutaque insigni earum varietate atque

A

que

que differentia, & diversa ejus obligatione euieta, politiora excitauerimus dubia, & ad ea, quantum per vires negotiaque alia licuit, ex principiis solidis responderimus.

## §. I.

Ecclesiam esse societatem supernaturalem.

**V**T legem Sabbathi, & quid nobis Christianis circa eam iustum sit, intelligamus, supponimus, Ecclesiam esse societatem supernaturalem, & differre a societate naturali. In societate supernaturali associantur homines Deo, sanctis angelis & piis hominibus. In societate naturali homines associantur aliis hominibus. Homines in societate supernaturali constituti, retinent inclinationem omnibus hominibus communem, viuendi in societate naturali, consentiuntque in leges politicas, & Magistratibus sese submitunt, quia hoc ipsa lex diuina praecepit. Sed praeter has leges naturales & positiuas ciuiles, hominibus in supernaturali societate constituendis, praescribuntur a Deo aliae leges, in societate supernaturali observandae. Omnes hae leges sunt supernaturales, sunt positivae, a Deo ipso reuelatae, nec lumine naturali cognosci possunt, & concernunt cultum, quo Deus coli & adorari uult ab hominibus, futuris aeternae salutis haeredibus. Cultus Dei, quatenus ex lege naturali non cognoscitur, non est ab hominibus determinandus, quia a Deo ipso praescriptus, quod omni tempore Ecclesia credidit.

## §. II.

Leges Ecclesiae.

**L**eges Dei positivae, seu reuelatae, differunt; quaedam sunt immutabiles, quaedam mutabiles. Immutabiles leges sunt, quarum rationes sunt constantes, u. g. fides in Messiam, praescripta est a Deo in primo

mo

mo praecepto; credenda enim sunt, quae Deus ad salutem reuelavit. Haec fides supponit, Messiam redemisse suo sanguine homines peccatores, quod semper verum & immutabile. Et ex hac ratione S. Iohannes doctrinam, quae tradit redemptionem per Christum, nominavit aeternum Evangelium, *APOC. XIV, 6.* Non enim prostat ratio, cur hoc salutis medium sit abrogandum, & aliud reuelandum, inque locum fidei saluantis substituendum. Mutabiles uero leges sunt, quae de rebus, ut loquitur Grotius de veritate Relig. christ. constabant per se mediis, quaeque a Deo ad certum saltem tempus sunt datae, quales sunt rituales & ceremoniales Veteris Testamenti, & quarum pleraeque magna cum solennitate sunt datae.

## §. III.

**I**am inquirendum est, ad cuius generis leges Sabbathi lex sit referenda. Nobis videtur, eam, prout <sup>Lex Sabbathi.</sup> Israëlitis in deserto data est, referendam esse ad varias leges. Pertinet illa (1) ad legem naturae, quae homini praecipit adorationem publicam, sine determinatione temporis & ritus. (2) Ad leges positivas immutabiles seu universales, quatenus determinatur septimus dies, post sex laboris dies cultui sacro impendendus. (3) Ad leges mutabiles & ceremoniales, quatenus huic legi multa per Moysen sunt addita, quae ad ceremonialia spectant, & infra fusius recensentur. Qui haec non distinguunt, facile in opinionem erroneam incidunt, & legem Sabbathi vel ad leges ceremoniales & mutabiles ad tempus saltem datas; vel ad leges positivas universales & immutabiles referunt. Sed qui observant, legis huius partem ad mutabiles, & aliam eius partem ad immutabiles pertinere, facilius erroneas opiniones evitant.

## §. IV.

Cultus in-  
ternus &  
externus  
naturalis.

**C**onsiderantes legem positivam de Sabbatho, supponimus, quia alibi constat, ius naturale hominibus praescribere in genere, ut creatorem suum colant & adorent, de quo nullum est dubium. Necessse itaque erat posteros docere, quod Deus mundum, & omnia, quae in eo, creauerit, & huc usque conseruauerit. Necessse quoque erat, ut seniores excitarent iuniores suis sermonibus, canticis, precibus & gratiarum actionibus, quo & hi Deum agnoscerent, eius reuelationi crederent, & gratias agerent; itaque status hominum exegit cultum internum & externum.

## §. V.

Tempus  
Sabbathi

**H**uic naturali legi, quam ex rationis lumine cognoscimus, addidit Deus legem positivam, qua determinauit tempus, quantum ex eo cultui diuino externo sit impendendum, quod ex rationis lumine non cognoscimus. Hinc Deus reuelauit, se sex diebus creasse mundum, & septimo quieuisse, quod utrumque tanquam fundamentum cultus diuini externi ad posterorum memoriam conseruandum erat.

## §. VI.

Lex Sab-  
bathi po-  
sitiva.

**V**ideamus ipsa codicis sacri uerba, ut cognoscamus, quis eorum sit sensus genuinus, ne commisceamus, quae in hac tractatione caute separanda sunt. Scripsit Moses suo tempore, & enarrauit de sabbatho sequentia: *Gen. II, 2, 3.*

*Cum absoluisset Deus in die septimo opus suum, quod fecerat, quieuit die septimo ab omni opere suo, quod fecit.*

*Et benedixit diei septimo, & sanctificauit eum: quia in eo quieuit ab omni opere suo, quod creauit Deus ad faciendum.*

## §. VII.

## §. VII.

CERTUM est, Mosen haec uerba suo tempore scri-  
 psisse, & ex diuina reuelatione enarrasse, partim, Negatur  
prolepsis.  
 quod Deus sex diebus mundum creauerit, partim,  
 quod septimo diei benedixerit, eumque sanctificaue-  
 rit, quia in eo quieuit. Hic quaeritur, utrum Moses  
 ea narrauerit, quae Deus protoplastis reuelauit; an  
 uero per prolepsin ea retulerit, quo homines sui tem-  
 poris attentiores redderet ad ritum a se institutum, ut  
 quidam uiri eruditi putant. Ut haec distincte co-  
 gnoscamus, necesse erit, ut consideremus, Mosen *Cap.*  
*I, 31* referre: *Deum adspexisse omnes res, quas fece-*  
*rat, & factum esse uesperam, & factum esse mane, di-*  
*em sextum.* Die itaque septimo Deus quieuit, id est,  
 cessauit creare & producere nouas creaturas, sensu e-  
 nim connexo sequitur *Cap. II. v. 1. absoluti sunt coeli &*  
*terra, i. e. absolutus est uniuersus mundus, quo abso-*  
*luto, Deus quieuit.* Reuera itaque Deus quieuit die  
 septimo. Sed cum quiete Dei connexa est benedi-  
 ctio & sanctificatio diei septimi. Quo ergo die De-  
 us quieuit, eo etiam benedixit. Moses dicit: *Deus*  
*quieuit die septimo ab omni opere suo, quod fecit: Deinde*  
*pergit: Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit eum,*  
*quia in illo quieuit, GEN. II, 1, 2.* Si Deus illo die, quo  
 quieuit, diei septimo benedixit, sequitur, nullam hic  
 esse prolepsin, sed Mosen narrasse historiam antiquam  
 tempore protoplastorum factam. Firmum itaque  
 manet, Mosen referre: Deum septimo die quieuisse,  
 & ei benedixisse, & sabbathum instituisse. Si regeras,  
 Deum quieuisse die septimo, ea intentione, ut tem-  
 pore Mosis illi diei benediceret; obstabit, nihil ta-  
 le in uerbis apparere; si enim Deus reuera quieuit die  
 septimo, non apparet ratio, cur non reuera benedixe-

rit diei septimo. Accedit & hoc, quietem Dei esse causam benedictionis; si uero causa, quies Dei extitit septimo creationis die, quis dixerit, benedictionem diei septimi demum post 2500 annos secutam esse. Manifesto incommodus est sensus, quem prolepsis infert: Cum Deus sexto die absoluisset opera sua, quieuit, ea intentione, ut post diluuium, tempore Mosis, Israëlitis praeciperet cultum septimi diei. Persuasus sum, non longiorem esse distantiam inter quietem Dei, & benedictionem & sanctificationem diei septimi, quam spatium duarum uocum monosyllabicarum כִּי בּוּ. Quo tempore Deus quieuit, eo tempore benedixit. Si ponimus, Mosen referre uoluisse, quod Deus statim finita creatione instituerit sabbatum in Paradiso, id uerbis euentioribus facere non potuit, quam illis, quae *GEN. II, 2, 3* legimus.

## §. VIII.

Explicatio legis  
Gen. II,  
2.

**S**oluta hac difficultate, necesse est, ut sensum uerborum Mosis explicemus. Dixit Moses: *Et benedixit Deus (septimo quietis diei) & sanctificauit eum, (in gratiam hominum) quoniam in illo quieuerat ab omni opere suo.* Hic quaeritur (1) utrum benedictio & sanctificatio diei septimi facta sit eodem septimo die, (2) utrum Deus praecise septimum creationis diem; an uero quemuis septimum diem post sex laboris dies sanctificauerit? & (3) quem cultum Deus benedictione & sanctificatione praeciperit?

## §. IX.

Benedictio diei.

**A**D primum responsum est in antecedentibus, quo die Deus quieuit, eo etiam benedixit; haec enim cohaerent. Ad secundum respondemus, Deum cuius septimo diei, post sex laboris dies, benedixisse, in  
sola-



folatium hominum. Deus quidem non ipsi diei, sed actionibus hominum sacris, illo die peragendis, benedixit, uti posteriori tempori Iobi benedixit, *IOB. XLII, 12.* Hoc enim constat ex lege repetita, u. g. *EXOD. XX, 9, 10. Sex dies laborabis, & facies omne opus tuum; at dies septimus sabbatum est Domino Deo tuo.* Hic praecipitur septimus dies, post sex laboris dies. Consonant, quae *EXOD. XXIII, v. 12.* leguntur: *Sex diebus facies opera tua: die autem septimo cessabis.* Eadem uerba repetuntur *DEUT. V, 13, 14.*

§. X.

**V**ariae prostant rationes, quae ostendunt, Deum non praecise septimum diem a primo creationis die, celebrandum praecepisse. Prima est, quod mundus sit globus, cuius altera pars illuminata, altera obscurata est, propterea alternantibus uicibus, diuersis horis globus terraqueus mox diem mox noctem exhibet, adeoque primus dies septimus in loco, quo Adam creatus, dies, in alio opposito eodem tempore nox fuit. Quodcunque etiam diei initium ponas, siue uesperam, siue mediam noctem, siue diluculum, non erit dies eodem tempore in toto orbe terrarum, quo omnes populi iisdem horis cultum diuinum celebrare possent. Deinde nautae, qui ab aliquo loco ad orientem per uniuersum mundum nauigant, unum diem acquirunt; & qui ex aliquo loco ad occidentem per uniuersum mundum transeunt, unum diem perdunt, quod Geographi aduerterunt. *vid. VARENI Geographia general. cap. xxix. prop. xii. p. m. 387.* Licet itaque ponamus, Adamum & posteros eius in eadem regione confedentes, celebrasse accurate quemuis septimum diem, diei, quo Deus quieuit, respondentem; attamen impossibile est, ut homines in alias mundi

Non  
praecise  
septimus  
dies a  
creatione.

mundi

mundi partes dispersi, diem eundem eodem praecise tempore celebrare potuerint. Hinc sequitur, Deum non uoluisse, ut omnes huius mundi homines eadem diei horas cultui diuino consecrarent, quae quieti Dei praecise respondeant.

## §. XI.

Qualis  
cultus in  
statu in-  
tegritatis.

**H**ic quaeritur (3) qualem cultum Deus Adamo eiusque posteris, si in statu integritatis perstitissent, praeceperit? Existimamus, Deum praecepisse Adamo integro, ut septimo die recordaretur, & posteris suis referret, quod ex reuelatione diuina acceperat: (1) summum Deum sex diebus creasse mundum, utque praedicaret potentiam, sapientiam & bonitatem Dei ex rebus creatis relucens. (2) Deum septimo die quiescere, hominibusque post huius uitae labores & transactum probationis statum, promississe quietem in aeternum duraturam, *HEBR. IV, 4.* & *PS. XCV, 11.* (3) Creatorem huius uniuersi etiam conseruare omnes creaturas, & ui eius benedictionis omnia procrefcere *GEN. I, 22. seqq.* (4) Deum Euam ex sua carne creasse, & praecepisse, ut maritus relinqueret patrem & matrem, & adhaereat uxori suae, *GEN. II, 22. seqq.* (5) Deum coniugibus benedixisse, crescite & multiplicamini, eiusque benedictione homines naturaliter nasci. (6) Deum dedisse hominibus in cibum omnes herbas, quae semen faciunt, & omnes arbores, quae semen producunt, omnesque pisces maris, aues & alia animalia, quae super terra repunt, *GEN. I, 28, 29.* (7) Deum dedisse legem de arbore in Paradiso uetita, qua Deus obedientiam Adami eiusque posterorum probare uoluit. *GEN. II, 26, 27.* (8) Deum esse unum in essentia & trinum in personis, quod intellexit Adam ex reuelata ipsi historia creationis: *Faci-*  
*ciamus*

*ciamus hominem, GEN. I, 26. Creavit Dii אלהים GEN. I, 1. &c.* Haec fuerunt septimo die in memoriam reuocanda, posterisque referenda, quia a Deo reuelata. Post lapsum Adami, praeter naturales leges, quae posteris inculcandae, accessit noua reuelatio de futuro Redemptore ex mulieris semine oriundo; & de sacrificiis, quibus Redemptor praefiguratus est, de maledictione satanae, *GEN. III, 14, 15.* Haec, aliaque plura, quae patriarchis reuelata erant a Deo, erant memoria conseruanda & posteris proponenda, cum precibus, laudibus, gratiarum actionibus & adhortationibus &c. Sed reliquae leges, quas Moses primaeuae legi addidit, & Israëlitis in deserto iniunxit, ignotae fuerunt ante-diluvianis & Noachi posteris usque ad Mosen.

## §. XII.

**I**am sequitur quaestio: *Num etiam Adamus & posterius eius sabbatum celebrauerint?* Sunt, qui negant, sunt alii, qui affirmant. Si licet ex actione sacra argumentum ducere pro eius institutione, licebit quoque ex institutione uel lege argumentari ad rem factam. Lex data est die septimo in paradiso, unde sequitur, eandem legem obseruatam esse a patriarchis. Quoniam hi propinquiore fuerunt mundi creationi, & habuerunt legem a Deo praescriptam, non apparet ratio, cur non obediuerint, maxime cum uideamus, Israëlitas in deserto longe remotiores a mundi creatione, sabbatum durius sanctificasse, & memoriam Creatoris recoluisse. Nec mihi succurrit ratio, cur Deus sabbathi sanctificationem demum post diluuium & post 2500 annos Israëlitis praeceperit in memoriam mundi conditi, cum antediluvianos aequae conerneret memoria creationis. *GEN. IV, 26.* legimus:

B

Tunc

*Tunc coeptum est inuocare in nomine Domini, ex quo colligitur, solenniori tunc modo inuocatum esse nomen Dei. Noui quidem diuersas proflare explicationes, quas iam non moramur. Nobis sufficit inuocatum esse nomen Creatoris a posteris Adami. Dies, in septimanas collecti, apud ante diluuianos fuerunt, quod constat ex Noachi historia. GEN. VIII, 10 & 12 legimus: Noachum in arca inclusum, post reditum columbae expectasse septem dies, quae uerba repetuntur post reditum columbae cum folio oleae. Septimanae ergo apud ante-diluuianos fuerunt, sed ultimus septimanae dies est sabbathum. Sed huic argumento parum roboris esse, lubenter fatemur, quamuis non plane silentio praetereundum sit. Ceterum non miramur, nullam apud patriarchas fieri sabbathi mentionem; paucissima enim sunt, quae in Genesi a creatione mundi usque ad diluuium relata habemus. Multi sunt iudaeorum docti, qui affirmant, patriarchas sabbathum coluisse, quos adducere non lubet. Conf. si placet, JALKVT SIMONI P. II. f. 119. a, b. CHALD. PARAPHR. Ps. XCI, 1. &c.*

## §. XIII.

An in Aegypto.

**V**trum Israelitae in Aegypto semper Sabbatha celebrauerint, non satis est perspicuum. Moses rogauit Regem, ut daret populo libertatem abeundi per triduum in desertum, ut ibi sacrificarent Deo suo; Sed rex id recusauit his uerbis: *Vos uultis (populo) dare Sabbatum, in quibus non laborant, sed Deo suo seruiunt. EX. V, 5.* In haebraeo est והשבתם quod a שבת *Sabbatum* deriuatur, ut sensus sit: Vos uultis ut Sabbathizet populus & Deo suo seruiat. Inde constare uide-

uide-

uidetur, Sabbatha, uel cessationes a labore ob cultum diuinum non fuisse in Aegypto ignota.

## §. XIV.

**G**entiles antiqui agnouerunt septimum diem sanctum, quod, uti uidetur, a maioribus suis, Noe posteris, acceperunt. *Homer. Odysf. u. u. 397. 98. 99.* An gentilibus Sabbathum notum.  
*edit. Barn. canit.*

*Sex diebus quidem deinde mihi chari socii conuiuiebantur,  
solis boues mactantes optimos.*

*Sed quando utique septimum diem Iupiter induxit Saturnius.*

Et *Odysf. i. u. 56.* mentionem facit diei sacri, conf. *Il. 9. u. 66. λ. u. 84.* Plura dicta colligit Clemens Alexandr. *Stromat. L. V. p. m. 600.* *Quin etiam septimum diem esse sacrum, non solum sciunt Hebraei, uerum etiam Graeci, per quem uniuersus mundus circumagitur eorum, quae uita gignuntur, & omnium, quae producuntur a natura.* Hesiodus quidem sic de eo dicit:

*Primum luna noua, & quarta est & septima sacra.*

Et rursus:

*Septimo erit rursus lux uel clarissima Solis.*

Homerus autem:

*Sacra dies uero post haec tum septima uenit.*

Et:

*Septima sacra fuit.*

Et rursus:

*Septenusque dies fuit, in quo cuncta peracta.*

Et rursus:

*Luceque septena ex ripis Acherontis abimus.*

Quin etiam Callimachus quoque Poeta scribit:

*Omnia septenaque die perfecta fuere.*

Et rursus:

*Septimus inque bonis, natalis septimus ille est.*

Et:

*Septimus in primis, perfectus septimus extat.*

*Sidereo in coelo septem perfecta fuere*

*Orbibus, omnia, quae apparent uoluentibus annis.*

Quin etiam Solonis elegiae septenarium numerum ualde celebrant.

§. XV.

Quae legi  
Sabbathi  
sunt ad-  
dita.

**C**VM Moses Israëlitas ex Aegypto duceret, non solum Sabbathum a Patriarchis cultum, & huc usque interruptum, restituit, sed etiam uaria ad solos Israëlitas spectantia addidit. Accessiones praecipue sequentes fuerunt. Moses legi Paradisiacae addidit (1) *quietem*, & cessationem a labore, qualis ex itinere defatigatis est conueniens. Hoc fecit Moses, ut Israëlitarum posterum in memoria conseruarent durum iter patrum suorum, ex Aegypto exeuntium. Vti in festo tabernaculorum celebratur memoria patrum, in tabernaculis habitantium, sic etiam quiete & cessatione a labore in Aegypto, & molesto itinere, recoluerunt memoriam patrum delassatorum post exitum ex Aegypto quiescentium. (2) *Memoriam*, diuinae & miraculosaee educationis ex Aegypto, *DEVT. V, 15.* quae commemoratio exitus ex Aegypto cessare debuit in N. T. iuxta *IER. XVI, 14.* *Ecco dies ueniunt, dictum Iehouae, quibus non dicetur amplius uiuus Iehouah, qui ascendere fecit filios Israëlis e terra Aegypti, Sed uiuus Iehouah, qui ascendere fecit filios Israëlis e terra septentrionis, & ex omnibus terris, quo expulit eos: reducam enim eos super terram eorum, quam dedi patribus eorum.* (3) *Holocaustum*, quod sacrificandum erat die Sabbathi. *NVM. XXIIIX, 10.* (4) *Prohibitionem*

tionem de non accendendo igne. *EXOD. XXXV, 3. Non accendetis ignem in omnibus habitationibus in die Sabbathi. Mihi uidetur prohiberi accensionem ignis in aedificatione tabernaculi, non uero ad calefactionem aut cibi praeparationem. Vide doctissimi ALTINGII Doctrinam de Sabbatbo §. 18. p. 21. (5) Prohibitionem colligendi manna, *EXOD. XVI, 5. & colligendi ligna, NVM. XV. ubi lapidibus obruitur, qui ligna sabbatbo collegerat. (6) Prohibitionem die sabbathi iter faciendi, EXOD. XVI, 29. Videte, quia Iebouab dedit uobis sabbatum, ideo idem dat uobis in die sexto panem duorum dierum. Sedete (quilibet) uir sub se; ne egrediatur uir (quisquam) e loco suo in die septimo. Haec, aliaque plura, a Mose sunt praecepta, & Iudaeis solis obseruanda.**

## §. XVI.

**M**ULTA etiam ex superstitione a Iudaeorum doctolibus, qui glossas & explicationes legis dederunt, le-  
gi sabbathicae sunt addita. Qualia sunt (1) uana opinio, quod Iudaei celebratione sabbathi peccatorum remissionem mereantur. Hoc ut probent, abutuntur Iesaias dicto: *Qui obseruauerit sabbatum, ut non profanet illud*, ubi uocem מחרלל transformant in מחורלל, ut sensus sit *ad condonandum ei. IES. LVI, 6.* (2) Vana opinio, non licere Sabbatbo rempublicam contra hostes defendere, quam superstitionem correxit Mattathias. conf. IOSEPH. *Lib. XII. 8. Antiquit. & contra APP. L. II. Lib. XIV. 8. de B. IVD. L. I. 5.* (3) Vana opinio, Deum in uespera sabbathi dare animam aliam & superfluam Iudaeo, quae in exitu Sabbathi iterum abit. Conf. *Cod. Schabbath cap. 7. p. 69.* ubi uocem וינפש & respirauit diuidunt & legunt וינפש *Vae animae, quae abiit, conf B V X T. Synag. Iud. c. 16.* (4) Vana opinio, quod

quod die Sabbathi non ambulandum in superficie herbarum in Cod. Moed Erubin *cap. X. p. 100.* (5) Vana opinio Dositheorum, qui teste ORIGENE L. IV. Periarchon, die Sabbathi & locum & habitum & fitum retinuerunt, in quo dies Sabbathi eos deprehenderat. Huc spectat Synesii historia ad Euopium in navigatione de quodam Iudaeo: Is Iudaeus navis clauum tenebat; aduentante Sabbatho, & occidente Sole, clauum dimittit, abiicit se in terram calcandum omnibus; totaque nocte illa & die immotus librum legis legit, neque etiam euaginato gladio, & morte ab aliis intentata, adduci potuit, ut uel moueret se, nedum ut clauum resumeret. (6) *Prohibitio decerpenti fructus ex arbore.* PHILO L. II. *de uita Moſis, nec ramum, inquit, nec frondem, nec folium demere fas est, nec fructum quidem ullum decerpere, immunitate in unum diem concessa his omnibus, uelut publico praeconio inter dictum haec attingere.*

## §. XVII.

Obligatio Sabbathi. **D**E obligatione praecepti Sabbathici acturi, respicimus uerba Christi, *LVC. XIII, 15.* quae Archisynagogo responsionis loco reddidit. Aegre tulerat Archisynagogus, quod Christus mulierem per octodecim annos aegrotam Sabbathi die sanasset. Respondit ipsi Christus *u. 15. Nonne quilibet uestrum Sabbatho soluit bouem suum aut asinum a praesepi, & adducit eum ad potum.* Hoc ipso Christus docet, opera necessitatis, & quae ad conseruationem hominum pertinent, posse fieri die Sabbathi. Opera necessitatis, quae ex relatione rerum naturali & perpetua resultant, habent moralem & perpetuam obligationem; opera uero, quae ex accidentali rerum relatione proueniunt, & positiua lege praecipuntur, cedunt illis, quae sunt perpetuae & natura-

tura-



turalis obligationis. Dare potum animalibus brutis, est perpetuae & naturalis obligationis, hoc enim, si non feceris, animalia pereunt, conseruatio eorum hoc praecipit. Obligatio sanctificandi Sabbathi, quae quietem praecipit, considerationi diuinorum operum, beneficiorum & officiorum nostrorum impendendam, est ex lege positiua, ceditque, quoties obligatio legis naturalis occurrit. Sic sanare aegrotum, est naturalis obligationis; conseruandi enim sunt homines, qui conseruari possunt. Sanctificare Sabbathum, & cessare a labore, est obligationis positiuae, ceditque obligationi naturali & perpetuae, qualis est sanatio aegroti.

## §. XVIII.

Eandem obligationis indolem intelligimus ex uerbis Christi, quae *MATTH. XII.* legimus. Pharisaei redarguerant discipulos Christi esurientes, quod spicas auulserint, & comederint die Sabbathi *u. 1. 2.* Christus interrogabat eos, annon legerint, quod Dauid esuriens cum suis comederit panes facierum? *u. 3. 4.* Comedere panes facierum, pertinebat ad sacerdotes, iuxta legem Dei positiuam; sed cum lex naturalis praeciperet, ut Dauid eiusque socii famelici satiarentur, nullique panes alii adessent, cessit obligatio legis positiuae, & dedit locum obligationi legis naturalis, hinc panes facierum laicis prohibiti lege positiua, dati sunt laicis, iubente lege naturali. Hic denuo praeceptum positiuum cedit praecepto naturali, quod perpetuae obligationis. Eadem obligationis uis intelligitur ex uerbis Christi, quae *u. 5.* leguntur. Dixit Saluator; Sacerdotes diebus Sabbathi profanare Sabbathi praeceptum, quatenus cessationem a labore iniungit. Hi enim laboribus suis funguntur die Sabbathi, maculant enim

Obligatio Sabbathi.

Aproba  
addit  
idit  
19

enim

3119

enim & sacrificant sacrificia. Cessare a labore die Sabbathi est praecepti positivi generalis, quod omnes obligat Iudaeos; sacrificare est officium praecepti positivi, sed specialis quod solos obligat sacerdotes. Videmus hic praeceptum positivum generale cedere praecepto positivo speciali.

## §. XIX.

Obligatio  
Sabbathi

**T**Andem cognoscimus eandem obligationem praecepti sabbathici ex verbis Christi *MATTH. XII, 7.* adductis. *Quod si sciissetis, quid sit, misericordiam volo, & non sacrificium, non damnassetis innocentes discipulos, die Sabbathi spicas euellentes.* Componit Saluator obligationem praecepti charitatis, quae naturalis est, cum obligatione praecepti sacrificiorum, quae positiva, dicitque Deum malle misericordiam & charitatem, quam sacrificia, i. e. Deum praeferre observationem praeceptorum Iuris naturalis observationi praecepti sacrificiorum positivi. Hanc uero comparationem ideo instituit, ut doceat obligationem legis Sabbathi, quae est positiva, eiusque obligationem cedere obligationi legis naturalis.

## §. XX.

Abrogatio  
sabbathi  
iudaei.

**I**n N. T. abrogatum est sabbathum Israëlitis datum, quod maxime onerosum fuit; sed mansit sabbathum, in paradiso institutum. Utrumque in tertio praecepto erat comprehensum, nunc uero paradisiacum imprimis est explicandum. Abrogatus est dies septimus, quem de Saturno denominamus; eum enim Moses in deserto instituit; postea Christianorum libertati fuit datum, quem eligere uellent alium ex cyclo dierum septenario, cyclus enim hic lege positiva in paradiso erat

erat

erat determinatus. Non potuerunt Apostoli, nec uoluerunt cyclum septem dierum transgredi, nec uel octauum, uel nonum, uel alium diem eligere, quia septimus a Deo determinatus creationis & quietis Dei memoriam suggerit. Licet uero omnes Christianorum dies sint sabbatha, unumque alteri semper succedat, nec alterum altero praestantius sit; necessarium tamen fuit, unum ex septiduo constituere diem, quo populus christianus discat, qua ratione uitam sanctam agere, & continua sabbatha seruare debeat, donec in coelestem quietem ingrediatur. S. PAVLVS testatur, sabbathorum iudaicorum obseruationem non obligare christianos *COL. II, 16, 17.* *Ne igitur uos quis iudicet in cibo aut potu, aut in parte festi, aut nouilunii, aut sabbathorum, quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Sabbatha ergo fuerunt umbra, respectu rerum in N.T. futurarum. Sed quid est haec umbra? Quidam putant, omnes ritus iudaicos, adeoque illos sabbathi, esse figuras & typos rerum christianarum, & mysteriorum, quae per umbram illam sunt praefigurata, inde ortae sunt plures eruditorum meditationes de rebus praefiguratis, quas sacri scriptores forte nunquam intenderunt. Nobis placet eorum sententia, qui dicunt, umbram denotare rem exiguam, & suo tempore euanescentem in relatione ad rem ipsam & solidam, quae umbram spargit. IOSEPHVS *de Bello Iudaico L. II. c. II. p. m. 150.* dicit de Archelao, quod *σκιάν βασιλείας umbram regni*, a Caesare rogauerit, ubi umbra non ipsum regnum, sed titulum eius significat. Sic h. l. sabbathum iudaicum, quod cessationem a labore denotat, umbra saltem est, in relatione ad quietem Christianorum spiritualem, & pacem cum Deo perpetuam. Quia sabbatha iudaeorum fuerunt umbra in

C relatione

relatione ad cultum Christianorum, sequitur, sabbatha Iudaeorum euauisse adueniente ipso corpore, & elucescente doctrina Christi uera, sic enim HESYCHIVS *σώμα doctrinam* interpretatur.

## §. XXI.

Abrogatio Sabbathi.

**S**imili ratione S. PAVLVS abrogata uult Iudaeorum sabbatha, cum Galatas dehortatur, ne Iudaeos, qui ritus iudaicos in ecclesia Christiana retinendos esse docerent, audirent. *Nunc uero, postquam cognouistis Deum, imo postquam agniti estis a Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus iterum seruire uultis; dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, GAL. IV, 9. 10.* Haec uerba respicere Iudaeorum ritus, sabbatha, nouilunia, festa, extra dubium est positum. Ritus iudaici, inter quos sunt sabbatha, dicuntur *egena elementa*, si componantur cum doctrina euangelii, per quam Spiritus S. corda hominum purificat & sanctificat. Idem libertatis christianae assertor PAVLVS ROM. XIV, 5. dixit: *Vnum diem non esse altero praestantiorum.* Hic quidem iudicat diem prae die, alter uero iudicat omnem diem, unusquisque in proprio sensu suo plene persuasus sit, (ita, ut non dubitet) S. Paulus infirmis conscientias inseruiens, & sciens, quosdam sabbatha reliquis diebus praeferre, alios omnes dies aequales habere, suavit, ne alter alterum iudicet & contemnat, quia lex Iudaeorum sabbathica sublata.

## §. XXII.

Sabbatum & dies dominica simul obseruantur.

**P**rimi Christiani non solum diem sabbathi iudaici, sed etiam diem solis, quo Christus resurrexit, seruauerunt. Apparet hoc ex IGNATII Epist. ad Magnes. *Interp. cap. 9. p. m. 59. Vol. II. Patr. Apost.* Non amplius sab-

*sabbatizemus iudaico more, ac feriis gaudentes: Qui enim non operatur, non manducet. In sudore enim uultus tui, edes panem tuum; aiunt eloquia: sed unusquisque sabbatizet spiritualiter, meditatione legis gaudens, non corporis remissione, opificium Dei admirans, non pridiana comedens, ac tepida bibens, & ad praescripta spatia obambulans, & saltationibus plausibusque insanis oblectans se. At post sabbathum, omnis Christi amator dominicum celebret diem, resurrectioni consecratum dominicae, reginam & maximam omnium dierum. Adde CONSTIT. APOST. Vol. I. p. m. 414. Sed licet Christiani seruauerint diem sabbathi, more tamen Iudaeorum id non fecerunt. Celebrarunt sabbathum modo spirituali, quod Ignatius indicat. Admodum probabile uidetur, Christianos celebraffe cum Iudaeis sabbatha, ut cum eis conuersando, eos ad cultum christianum attraherent. Omnes dies Christianis fuisse sabbatha, IVSTINVS in Dial. cum Tryph. p. m. 69. C. Bibl. M. Patr. Tom. II. P. II. asserit: Perpetuum uos seruare sabbathum, uult lex noua; & cum unum in otio transegeritis diem, religione uos defunctos arbitramini. Si omnes dies Christianorum sunt sabbatha, mirum non est, primos Christianos & diem creationis & diem resurrectionis spirituali modo obseruasse.*

## §. XXIII.

**I**psa diei dominicae institutio ab Apostolis & primis Ecclesiae doctoribus originem trahit. Cognouerunt Apostoli, creationem mundi legemque in paradiso latam, seque ea obligatos senserunt ad aliquem in cyclo septem dierum eligendum diem, sacroque cultui destinandum. Hinc S. LUCAS ACT. XX, 7. refert: *discipulos congregatos fuisse, panem fregisse, & Paulum concionem habuisse primo sabbathorum, i. e. solis die.*

S. PAVLVS Corinthiis collectionem eleemosynarum praecipiens, scribit *I. CO R. XVI, 1, 2. De collectione uero in sanctos, sicut disposui in Ecclesiis Galatiae, etiam uos facite. Singulis primis sabbathorum, quilibet uestrum apud seipsum ponat in thesaurum, quicquid commodum fuerit, ne quando uenero tunc collectiones fiant.* Ideo S. IOHANNES diem solis appellat *diem dominicam. A P O C. I, 10.* S. Iohannes non nominauit sabbathum Iudaeorum diem dominicam, hac enim die non erat resurrectio Domini facta; nec intendit alium aliquem septimanae diem, ambigue enim locutus esset; sed intellexit diem solis, quo Dominus resurrexit, quique Christianis iam notus erat. Hic uidemus, Christianos collegisse eleemosynas singulis primis sabbathorum diebus, ex quo sequitur, quod singulis primis sabbathorum, i. e. diebus solis, conuenerint, & sacra sua celebrauerint.

## §. XXIV.

Confir-  
matur ex  
Plinio.

PLINIUS SECVNDVS in Epist. 97. L. X. ad Traian. circa ann. Christi 104. scripta, retulit inter alia: *quod Christiani essent soliti, stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem, seque sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium.* Vbi quaeritur, quis status ille dies sit? Quidam putant, eum intellexisse Iudaeorum sabbathum; sed qui considerant, quod primo seculo, iam Apostolorum tempore, Christiani die solis conuenerint, cognoscent, solis diem Plinio statum diem fuisse. Editores quoque, qui Plinium annotationibus explicauerunt, id obseruarunt. Idem patet ex Iustino, cuius uerba in sequenti §. exhibemus.

## §. XXV.

## §. XXV.

**S**i scire cupimus, qua ratione primi Christiani celebrauerint diem dominicam, & quae sacra officia obferuauerint, id optime ex testimonio B. IVSTINI MARTYRIS qui anno 140. floruit, discimus, cuius uerba hoc loco legisse, neminem poenitebit. Hic enim sequentia uerba in Apol. II. pro Christianis, Bibl. M. P. T. II. P. II. fol. 32. F. scripta reliquit. *Atque in omnibus, inquit, quas offerimus, oblationibus, benedicendo laudamus factorem omnium, per filium eius Iesum Christum, & Spiritum Sanctum: & Solis, qui dicitur, die, omnium, qui uel in oppidis uel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit: & Commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quiescente, praesidens orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hac consurgimus communiter omnes, & preces profundimus: & sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur, & uinum, & aqua: & Praepositus itidem, quantum pro uirili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat, dicens: Amen! Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiae sunt actae, cuique praesenti, absentibus autem per Diaconos mittitur. Caeterum qui copiosiores sunt & uolunt, pro arbitrio quisque suo, quod uisum est, contribuunt: & quod ita colligitur, apud Praepositum deponitur, atque ille inde optulatur pupillis & uiduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam causam, egent, quique in uinculis sunt, & peregre aduentibus hospitiibus, & ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est. Solis autem die communiter omnes conuentum agimus: quando quidem is primus dies est, quo Deus tenebris & materia (quam prius creauerat) uersa mundum effecit; & Iesus Christus Seruator noster eo ipso die a mortuis resurrexit.*

Modus  
 celebran-  
 di diem  
 domini-  
 cam.

## §. XXVI.

Nostri ritus conueniunt cum antiqua Ecclesia.

**C**VM hoc B. Martyris praescripto conuenit ordo cultus in die dominico a Lutherana ecclesia obseruatus. 1) Conuenimus die solis, quo Christus resurrexit. 2) Legimus pericopas epistolicas & euangelicas, intermixtis canticis. 3) Concionator occasione praelecti textus euangelici orationem habet ad populum, qua cohortatur auditores ad imitationem tantum pulchrarum rerum. 4) Finita concione consurgimus communiter omnes, & preces fundimus pro statu publico, ecclesiastico, oeconomico. 5) His peractis panis & uinum offertur in S. coena. 6) Deinde collectae praeleguntur, quibus populus acclamat, Amen. 7) Tandem pro arbitrio quiuis contribuit ad sustentationem pauperum, quod uult, quod deponitur, & inter pauperes distribuitur. Mihi uidetur cultum diuinum eodem modo in Lutherana ecclesia esse ordinatum, uti a Iustino Martyre hoc loco est descriptus. Sed optandum, ut eodem diuini amoris & charitatis ardore seruaretur, quo a primis illis Christianis est factum.

## §. XXVII.

An Sabbathum translatum sit in diem Dominicam.

**S**I quaeras: *Utrum sabbatum Iudaicum translatum sit in diem Dominicam?* Respondemus, ex praecedentibus facilem esse responsionem. Quantum distat sabbatum Paradisiacum a sabbatho Sinaitico, tantum distat sabbatum Christianorum a sabbatho Iudaico. Sublato sabbatho Iudaico oneroso, & ceremoniali, rediit simplex sabbatum paradisiacum. Hoc occultatum fuit sub illo graui onere presso, quo abiecto, liberum hoc rediit in orbem. Christiani memores legis sabbathicae, in paradiso Adamo latae, unum diem ex circulo dierum septenario determinarunt, quo sabbatum



sabbatha sua celebrarent. Hinc ipsi Apostoli elegerunt diem solis, quo Christus resurrexit, quem reliqui Christiani seruarunt ad hunc usque diem, solis enim dies ad memoriam resurrectionis Christi semper est celebratus, nec existimamus, diem dominicam a particulari ecclesia in alium diem sine scandalo transferri posse. Ut quaestionem recte intelligamus, tenendum est, (1) tertio praecepto contineri legem naturae moralem, quae praecipit, ut cultui publico certum tempus statuatur. (2) Sabbathum etiam paradisiacum insertum esse tertio nostro praecepto. Adhortatus enim est Moses populum: *Memento diei sabbathi, ad sanctificandum eum. Quia sex diebus fecit Dominus coelum & terram, mare & omne, quod in iis est, quieuitque in die septimo, ideo benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificauit eum. EXOD. XX, 9, 11.* Hoc uero praeceptum paradisiacum non est abrogatum, sed est perpetuum, uti nec praeceptum naturale abrogari potuit. Haec ergo duo praecepta antea die sabbathi obseruata, translata sunt in diem dominicam. (3) Quae spectant ad sabbathum Israëliticum & Iudaicum, ceremonialia illa & onerosa etiam in eo praecepta comprehensa, plane abrogata sunt, & non translata in diem dominicam. Autores quidam eruditi differenter loquuntur de hac translatione sabbathi. IEREM. TAYLOR in *Ductore Dubitantium* L. II. C. 2. n. 51. p. m. 273. de ea sic loquitur. *Diem dominicum non successisse in locum sabbathi, sed sabbathum totum esse abrogatum, & diem dominicam esse constitutionem ecclesiasticam.* Hunc alii plures secuti sunt. Sed aduertendum. (1) Legem naturalem in tertio praecepto comprehensam, non esse abrogatam, quod ex iam dictis patet. (2) Legem paradisiacam, quae duo comprehendit, (a) unum diem ex septiduo esse celebrandum,

dum, quod est positium & uniuersale, (b) sabbathum spirituali modo esse celebrandum, quo consequamur aeternam Dei quietem. Haec tria sunt translata ex sabbatho iudaeorum in diem dominicam Christianorum. (3) Quae reliqua sunt sabbathi iudaici a Mose Israëlitis praescripta, ceremonialia & onerosa, sunt penitus abrogata, nec in diem dominicum translata sunt. (4) Quod Dn. TAYLOR addit: *Diem dominicam esse constitutionem ecclesiasticam*; obseruandum est: quod unus dies electus sit ex septiduo, id factum esse secundum praeeptum paradisiacum; quod uero dies Solis, & non dies Lunae uel Martis electus sit, id esse ex constitutione ecclesiastica, quae omnia ex supra dictis constant, & a Dn. TAYLOR confunduntur.

## §. XXVIII.

An dies  
Domini-  
ca conti-  
neatur in  
tertio  
praeepto.

**Q**Vaeritur porro: *Virum celebratio dominici diei contineatur in tertio praeepto?* Negat hoc Doctiss. TAYLOR l. c. *Dominica dies*, inquit, *non uirtute quarti praeepti est introducta; quoniam Christiani trecentis fere annis obseruarunt, sabbathum in praeepto illo comprehensum, sed sine opinione primae obligationis, ideoque illud non habuerunt pro morali.* Sed nobis uidetur, Dominicam diem comprehensam esse in tertio, uel ut alii uolunt, in quarto praeepto. In tertio praeepto continetur (1) sabbathum in paradiso praeeptum, (2) sabbathum Israëliticum & onerosum, (3) sabbathum naturale, Deum publico cultu certo die esse colendum, quae ex supra dictis constant. Itaque in errore uersantur, qui cum Clar. Taylor putant, diem nostram dominicam non contineri in tertio praeepto. Apostoli & primi Christiani, qui dominicam diem ex cyclo septem dierum instituerunt, respexerunt tertium praeeptum, in eoque contentum praeeptum sabbathi paradisiacum.

Porro

Porro continetur hoc praecepto lex naturalis, Dei publico cultui certum diem esse destinandum, quod plures agnoscunt. Hoc affirmat etiam doctiss. TAYLOR l. c. his uerbis: *Sed erat in obseruatione istius diei pars naturalis religionis, quae moralis est, separatio nempe cuiusdam temporis ad glorificationem Dei, & commemorationem eius beneficiorum.* Celebratio itaque diei dominicae nostrae continetur in Decalogi tertio praecepto, & est moralis, quatenus tempus illud, quod ad glorificationem Dei separandum est, iuxta ius naturae separatur & celebratur. Deinde celebratio diei dominicae obseruat praeceptum Dei positium & uniuersale, quod in paradiso latum.

## §. XXIX.

Consentit nostra sententia cum A. C. Artic. VII. de Abus. p. 68. *Talis est (ecclesiastica) obseruatio diei dominici (quae constituit, ut dies solis sit dies septimus post sex laboris dies, quod a Deo praeceptum) Paschatis, Pentecostes & similium feriarum & rituum. Nam qui iudicant ecclesiae auctoritate, pro sabbatho (iudaico) institutam esse diei dominici obseruationem, tanquam necessariam (propter legem sabbathi Israëlitis datam) ut necessario dies sabbathi in eo celebretur, (uti a Iudaeis celebratur) longe errant. Scriptura abrogauit sabbatum (ceremoniale & iudaicum) quae docet omnes ceremonias Mosaicas, post reuelatum euangelium, omitti posse. Et tamen quia opus erat (propter praeceptum in paradiso datum) constituere certum diem, ut sciret populus, quando conuenire deberet, apparet, ecclesiam ei rei destinasse diem dominicum, qui ob hanc quoque causam uidetur magis placuisse, ut haberent homines exemplum christianae libertatis, & scirent, nec sabbathi, nec alterius diei obseruationem necessariam esse. Hanc esse mentem B. LVTHERI, constat ex Catech. Maiori,*

D

p. m.

p. m. 636. *Sabbatum sanctificare, inquit, idem est, quod sabbatum sanctum habere. Quid ergo est, sabbatum sanctum habere? Nihil aliud, quam sanctis uerbis, operibus, & uitae uacare. Siquidem hic dies pro se non opus habet sanctificatione, iam enim inde ab initio creationis a suo conditore sanctificatus est. (in lege paradisiaca) Adde Comment. in Genes. p. 23. Hoc eo proprie pertinet, ut intelligamus, septimum diem praecipue diuino cultui esse applicandum. Sanctum enim est, quod Deo est appropriatum, & ab omnibus prophanis usibus separatam, hinc sanctificare, deligere ad sacros usus, seu ad cultum Dei, sicut Moses hac phrasi saepius utitur, etiam de uasis sacris. Sequitur igitur ex hoc loco, si Adam in innocentia stetit, tamen habuisset septimum diem sacrum, hoc est, eo die docuisset posteros, de uoluntate & cultu Dei, laudasset Deum, gratias egisset, &c. Agnouit itaque B. LVTHERVS legem paradisiacam, etiam Adamo in paradiso obseruandam.*

## §. XXX.

**Q**UOD B. LVTHERVS in Catechismo maiori p. 635. dixerit: *Nullus dies altero est melior aut praestantior, id nobis non est contrarium. Lubenter concedimus, christianam ecclesiam & diem Lunae & Martis, uel alium potuisse cultui sacro destinare, nullus enim dies est praestantior aut sanctior altero. Hoc uero asserimus in circulo septem dierum, unum esse cultui sacro consecrandum, per legem Dei in paradiso latam. Hoc sensu B. LVTHERVM dixisse, nullum diem altero esse meliorem & praestantiozem, apparet ex uerbis l. c. annexis: Verum haec quidem quotidie fieri debebant, sed quando multitudo praepedita negotiis interesse negat, ad minimum VNVS ALIQUIS DIES PER HEBDOMADAM huic rei seruiendae eligendus est.*

## §. XXXI.

## §. XXXI.

**S**Vnt quidam, qui Theologos quosdam Lutheranos B. Chem-  
 producant, iisque imputant, docuisse, dominicam nitii sen-  
 diem non esse lege paradisiaca praeceptam. Prouo- tentia.  
 cant ad B. CHEMNITIVM, aliosque plures, quibus  
 hanc sententiam placuisse, asserunt. Euolui B. Chem-  
 nitii LL. & inueni in loco de lege, de tertio praece-  
 pto, p. m. 51. edit. in fol. sequentia uerba: *Scholastici*  
*ita disputant, quasi sabbatum non tam sit abrogatum, quam*  
*translatum. Dicunt enim: sicut Iudaei ad septimum diem*  
*erant obligati; ita nos ad primam, quae dominica uocatur,*  
*eadem religione tertii praecepti teneri. Et ideo distincte prae-*  
*cipitur, omnes dies dominicas a uespera in uesperam celebra-*  
*das: Sicut Iudaei sabbatum &c. Sed hoc manifeste pugnat,*  
 respondet B. CHEMNITIVS, cum Paulo, GAL. IV, 10.  
 COLOSS. II, 16. qui dicit, ita esse abrogatum sabbatum, quod  
 non sumus obligati ad certum aliquem diem, ratione numeri se-  
 ptenarii. Sicut etiam Esaias praedixit, cap. 66. u. 23. Erit  
 sabbatum ex sabbato. Ergo non est de necessitate praecepti,  
 in Nouo Testamento obseruare numerum septenarium.

## §. XXXII.

**S**ententia B. CHEMNITII est ex circumstantiis expli- Vindica-  
 canda. Improbat ille Scholasticorum sententiam, tio.  
 quae statuit, dominicam diem esse per 24. horas cele-  
 brandam. Negat hoc CHEMNITIVS, his uerbis: *Ma-*  
*nifeste hoc pugnat cum PAVLO GAL. IV. &c. abrogatum*  
*est sabbatum, non sumus abligati ad certum aliquem diem*  
*(sc. integrum) ratione septenarii. Eodem sensu ad-*  
 dit haec uerba: *Ergo non est de necessitate praecepti, in N.*  
*T. obseruare numerum (integri diei) septenarium. Nisi enim*  
 hoc subintelligas, uidebis, non esse accuratam contra-  
 dictionem. Hanc explicationem referre sensum B.  
 Viri uerum, cognoscimus ex uerbis, quae in sequ. p. 53.  
 D 2 scriptit:

scripsit: *Memento, ut sanctifices &c.* Quidam uolunt, Deum ita locutum esse propterea; quia tunc non primum instituebatur sabbatum; sed memoria eius, quae tunc forsan coeperat intercidere, renouatur. Deum igitur iussisse, ut memoriarepererent, quod in ipsa statim creatione Deus sanctificavit septimum diem. Et haec quidem uera sunt, sed sine dubio alius quiddam Deus spectauit. Concedit itaque Vir B. Deum in primordio mundi instituisse sabbatum, & Israëlitarum sabbatum iuxta istam legem esse institutum.

## §. XXXIII.

Seldeni  
sententia.

CLarissimus SELDENVS, *de Iure Natur. & Gent. L. III. cap. 14.* negat, Deum legem sabbathi tulisse Patriarchis antediluvianis, & existimat, uti dies natalitii Principum non ex instituto celebrantur; sic etiam natalem mundi ex instituto non fuisse celebratum. Sed existimamus, magnum esse discrimen inter natalem Principis, & natalem mundi. Hic enim docuit homines, Deum sex diebus creasse mundum, posuisse in coelo stellas, condidisse terram frugiferam omnis generis fructus, ipsumque hominem, qui beneficia Dei agnoscat, posteris praedicet, & Deo gratias agat. Talia non suggerit natalis principum. Post plura alia, SELDENVS testes suae sententiae Patres aduocat christianos, quos dicit confessos esse, Patriarchis non obseruatum esse sabbatum hebdomaticum. Sed respondemus, Patrum illorum mentem minus recte esse intellectam, quod enim sabbatum Israëlitis datum, a Patriarchis non seruatum esse dicant, id certum est; non uero negarunt, Patriarchas seruasse sabbatum a primordio mundi institutum. Plura de sententiis Patrum inferius dicemus.

XXXIV.

## §. XXXIV.

**D**OCTISSIMUS SPENCERVS *de Legibus Hebraeor. Sect. VII.* Spenceri *p. m. 125.* negat, sabbathum ab initio mundi institutum, putatque, illud demum a Mose Israëlitis iniunctum esse, cui uerbis in parenthesi inclusis respondebimus. SPENCERVS scripsit: *Deus diu, antequam Moses haec scriberet, diei septimo benedixerat & sanctificauerat, Mosen haec scripsisse paulo postquam populum ex Aegypto eduxisset, in memoriam creationis.* (Hoc certo non adstrui potest, Moses enim haec scripsisse uidetur eo tempore, quo gregem in monte Dei custodiret, & reuelationes diuinas haberet, & licet Moses ea illo tempore scripsisset, non sequitur, Deum illa Adamo non reuelasse.) Pergit SPENCERVS: *Mosi uisum est in huius historiae occasione, actionem tam solennem reponere, partim ut indicaret hanc absolutae creationis, & creatoris die septimo cessantis historiam, perpetua populi memoria retinendam, (ergo historia illa etiam Adamo & posteris eius fuit necessaria, & a Deo reuelata, quia perpetua memoria hominum digna est) partim, quod Moses in Pentateucho (rectius in Genesi) ea praecipue referre & inculcare statuisset, quae ad seculi sui idololatriciam, e radicibus imis euellendam, maxime uelarent & spectarent.* (Sed historia sabbathi etiam necessaria fuit antediluvianis ad euellendam idololatriciam, & confirmandam fidem in mundi creatorem; ergo Deus eam etiam Adamo reuelauit.) *Ideo enim cap. I. rerum principium memorat, (quod antediluvianis non ignotum) & Deum coelum, solem, lunam & sidera creasse refert, (quae etiam Adamo & posteris nota fuerunt) ut idololatriciam, tunc passim obtinentem, aboleret, (ante diluuium etiam abolenda erat impietas & idololatria hominum, ergo & lex sabbathi erat necessaria) & illius radicem, opinionem de rerum omnium aeternitate, ex hominum animis extirparet, (etiam*

Adami & posterorum impietas ea historia legeque sabbathi extirpanda erat) eosque ad diem septimum creationis monumentum sancte & sollemniter observandum excitaret. (Talis excitatio etiam Adamo & posteris fuit necessaria.) Qui annotationes has perpendit, & uerba MOSIS *GEN. II, 1. 2. 3.* inspicit, cognoscet facile, SPENCERI rationes non probare, quod lex sabbathi, de qua MOSES *GEN. II, 2.* agit, Patriarchis antediluvianis fuerit ignota, existimamus, senes illos & prophetas non solum ea, quae MOSES in Genesi memoriae prodidit, sed longe plura ex reuelatione, experientia, & Adami traditione cognouisse, adeoque sabbathi legem non fuisse illis ignotam.

## §. XXXV.

Marschami sententia.

**S**ic quoque Doctiss. MARSCHAMVS in *Can. Chron. Sec. IX. p. m. 194. seqq.* autumat, nullam sabbathi legem in primordio mundi esse traditam, sed primam legem a Mose Israëlitis praescriptam. Hinc quae Moses *GEN. II, 2.* refert, per prolepsin relata esse affirmat. Sed eam prolepsin a nobis supra negatam esse, rationibusque haud infirmis fractam, ex supra dictis constat. Porro Clar. MARSCHAMVS tradit, numerum dierum septenarium, ex Mathematica disciplina, & ex intimo Aegyptiacae antiquitatis penu depromptum esse. Sed qui aduertit, Noacho septem dierum numerum cognitum fuisse, ille facile persuadetur, Aegyptios illum septem dierum cyclum a maioribus suis accepisse, & deinde Matheseos inuolucris uestiuisse. Hinc septem diebus, septem planetarum nomina applicata sunt. Tandem urget MARSCHAMVS, sabbathum fuisse signum Iudaeorum, quo ab aliis gentibus discreti sunt. Concedimus lubenter, sabbathum Israëlitis fuisse signum, sed ex eo non sequitur,

tur,



tur, nullum sabbathum in primordio mundi esse institutum.

## §. XXXVI.

**D**OCTISS. JURIEU, qui in *Histoire Critique P. I. ch. XV.* Iurieu  
*p. 107.* rationes eorum profert, qui negant, sabbathum ante Mosen esse obseruatum, nos urget, ut easdem ponderemus. Prima eius ratio est *silentium Mo-* Ratio pri-  
*sis*, qui nullibi obseruationis sabbathi meminit. Sed *ma.*  
 respondemus, Mosen *GEN. II, 2, 3.* eius claris uerbis meminisse, dum institutionem sabbathi refert. Quod uero nulla amplius mentio in Genesi fiat sabbathi, ea ex ratione factum esse uidetur, quod pauca a creatione usque ad diluuium Moses retulerit, uti & a diluuiio usque ad Mosen, pauca gesta enarrantur. Obseruarunt eruditi uiri, non ualere argumentum negatiuum, ubi argumentum positium inuenitur. Nos habemus argumentum positium, institutionem sabbathi in paradiso, cui cedunt merito argumenta negatiua. Ex Caini sacrificio concludimus, Deum sacrificia praecepisse, cur ex praecepto sabbathi non concludamus, antediluuianos sabbathum seruasse. Antediluuiani habuerunt septimanas, quae originem acceperunt a sex diebus creationis, & septimo quietis, quae per Noachidas translatae sunt ad reliquas gentes, licet posterius neglexerint obseruationem sabbathi.

## §. XXXVII.

**S**ECUNDA ratio, qua sabbathi obseruatio ante Mosen  
 a Dn. JURIEU negatur, desumpta est *a silentio trans-* Ratio se-  
*gressorum sabbathi.* Dicit, referri in Genesi incestum cunda.  
 Lothi, idololatriam Labani, homicidium Caini, peccatum Esau, Simeonis & Leui uolentiam; sed nullam fieri mentionem alicuius contemptoris sabbathi. Respon-

Respondemus, a silentio contemptorum sabbathi ad negationem ipsius sabbathi, non ualere consequentiam, multa hodie committuntur peccata, quae sequens aetas ignorabit. Sufficit, institutionem sabbathi eiusque originem in Genesi referri.

## §. XXXVIII.

Ratio tertia.

**T**ertia Dn. IURIEV ratio est, quod Theologi consentiant, Deum unicam legem dedisse Adamo, de uetita arbore. Respondemus, Dn. IURIEV petere & supponere, quod est in principio. Quaestio enim est, utrum uerba GENES. II, 2. 3. exhibeant sabbathi institutionem; si exhibent eam, praeceptum datum est in Paradiso: Si eam non exhibent, nullum datum est praeceptum. Sed ex quo libro cognouimus legem de arbore uetita; ex eodem habemus legem de sabbatho. Multi sunt Theologi, qui plures leges Adamo datas affirmant; prostat institutio matrimonii, quae uim legis habet, ex explicatione Saluatoris. MATTH. XIX. Et illae leges proponendae erant Adami posteris, quod fieri debuit determinato tempore & loco.

## §. XXXIX.

Ratio quarta.

**Q**uarta ratio, petitur a statu Adami integri, & quiete nulla egentis. Haec lex, inquit, contraria est statui innocentiae, in quo Adamus non egebat quiete, neque contemplatione, neque precibus. In illo statu labor fuit mediocris, nec uires Adami decreuerunt, uti nostrae in statu lapsus. Neque necesse erat separato die instituere contemplationes diuinas, quia hae in statu integritatis quotidianae fuerunt & perpetuae. Sed respondemus, necessarios fuisse conuentus publicos etiam in Paradiso, quia Adamus in statu integritatis uixit uitam animalem, & in peccata labi potuit, Adamus

mus

mus enim in statu integritatis fuit deceptioni Sata-  
nae expositus, quod proponendum fuit posteris, ut si-  
bi cauerent. Adamus etiam in statu integritatis ob-  
seruare debuit legem de arbore uetita, quae propo-  
nenda erat posteris. Idem memoriam creationis mun-  
di sex diebus factae propagare debuit ad posteros. Sic  
quoque obligatus fuit Deum publice laudare, suoque  
exemplo alios ad laudem excitare. Denique opera &  
attributa diuina explicanda erant posteris, ut cresce-  
ret scientia eorum. Ergo sabbathi lex non solum ob-  
ligat homines lapsos & miseros, sed obligauit etiam  
Adamum integrum. Consentit nobiscum B. LVTHER.  
*Comment. in GENES. fol. XXIII. a. Sequitur igitur, inquit,  
ex hoc loco, si Adam in innocentia stetisset, tamen habuisset se-  
ptimum diem sacrum, hoc est, eo die docuisset posteros de uo-  
luntate & cultu Dei, laudasset Deum, gratias egisset &c.*

## §. XL.

**Q**Vinta Dn. IURIEV ratio pro confirmanda con- Ratio  
traria sententia, in eo est posita; quod si Deus legem quinta.  
sabbathi dedisset Adamo, sequeretur, omnes homines fuisse ob-  
ligatos ad obseruationem eius; sed neminem sibi imaginari  
posse, quod praeter Iudaeos, alii homines, qui praeceptum sab-  
bathi transgressi, puniti sint. Respondemus, nos  
concedere, omnes homines obligatos esse ad legem  
sabbathi; quod uero praeter Iudaeos nulli alii homi-  
nes puniti legantur, id inde est, quod gentiles scripto-  
res hanc legem, in statu innocentiae latam, ignora-  
uerint, uti totus status integritatis ipsis ignotus fuit.  
Gentiles cognouerunt, Deum adorandum esse, & a  
maioribus suis acceperunt septimanarum circulum,  
sed ignorarunt ipsam legem sabbathi, uti alias plures,  
quae non nisi in ecclesia Dei conseruatae sunt.

E

§. XLI.

## §. XLI.

Ratio sexta.

**S**exta negatiua ratio est, quod si lex sabbathi tam antiqua esset, Moses cum praecipuit eam Israëlitis, eius addidisset antiquitatem. Respondemus, Mosen legem hanc praecipuisse cum ratione ex antiquitate petita, *EXOD. XX, 10.* ubi refertur, Deum sex diebus mundum creasse, & septimo quieuisse. Et u. 8. *memento diei sabbathi.* Vbi de re iam antiqua loquitur.

## §. XLII.

Ratio septima.

**S**eptima ratio nobis opposita est, quod in praeepto sabbathi quaedam praecipiantur, quae solos Israëlitas concernunt, u. g. *DEUT. V, 15.* ubi praeepto sabbathi inseritur memoria seruitutis Aegyptiacae. Respondemus, nos lubenter hoc concedere, quia ostendimus supra, tempore Mosis multa legi sabbathi accessisse, quae patriarchas antecedentes non obligarunt.

## §. XLIII.

Ratio octaua &amp; nona.

**O**ctaua & nona ratio contraria sumitur ex illis locis, in quibus sabbathum dicitur signum inter Deum & Israëlitas, *EX. XXXI.* ut & ex aliis, quibus prophetae dicunt sabbathum Israëlitis esse mandatum. Respondemus, uti ante Mosen sabbathum signum fuit, inter creatorem, & eius ueros cultores; sic post Mosen sabbathum signum fuit inter Deum & Israëlitas, quia hi coluerunt Deum, qui sex diebus mundum creauit, & Israëlitas ex Aegypto eduxit. Ex quo non sequitur, erga nulla antea fuit lex sabbathi.

## §. XLIV.

Ratio decima.

**D**ecima Dn. *IURIEV* ratio, quam nobis opponit, est, quod ante Mosen nullus publicus cultus externus fuerit, & quod in nullo loco publico conuentus publici instituti sint. Sed existimamus, Dn. *IURIEV* petere principium, & affirmare, quod in quaestione est. Deinde opponimus ipsi

ipfi

ipsi uerba. *GEN. IV, 26. Tunc coeptum est inuocare Nomen Domini, quod de publico cultu iure intelligitur.*

## §. XLV.

**Q**uas ab autoritatibus petit rationes, nobis infirmæ uidentur. Prima est: *antiquos Iudaeos fateri, sabbatum a Mose esse institutum.* Respondemus, non omnes hoc fateri, sunt enim plures, qui dicunt, sabbatum ab initio mundi esse institutum. Error in eo uersari uidetur, quod quidam sabbathi celebrationem a Mose auctam, & Israëlitis praescriptam, confundant cum sabbathi celebratione in paradiso praecepta. Ante Mosē longe liberior fuit sabbathi celebratio, post Mosē longe arctior. Quanta autoritas Iudaeorum doctoribus adscribenda sit, intellexerunt illi, qui Talmudistarum traditiones cum Iosephi narrationibus composuerunt. Nulla itaque uis Cl. *JURIEV* argumentis inest, quae legem sabbathi paradisiacam destruit.

## §. XLVI.

**N**uper Clar. *BURNET* in libro *de statu Mortuorum*, Burneti qui, ut uidetur, Londini 1726 prodiit, inter alias sententia. particulares sententias ueritati non consentaneas, etiam asserere suscepit: *ante Mosē nullum fuisse sabbatum.* Haec sunt eius uerba, quae in Epist. II. ad Virum Clar. A. B. p. 266. leguntur: *Quod si rationem literalem sabbathi hic unice respiciendam uelis, quid mihi dixeris, amicorum optime, si nullum fuisse institutum sabbatum, nullam celebratum ante tempora Mosæica, constiterit: Neque Noachidis, neque Antediluvianis datum esse unquam hoc praeceptum, sed Iudaeis solis, idque post exitum ex Aegypto. Hoc certe nos docent praeclari nominis Doctores christiani, & sacerorum librorum Interpretes. Iustinus cum Tryphone agens, sabbathi institutum, non minus quam circumcisionem, Iudaeo-*

*rum proprium & gentile facit: & cum Adamum, Abelem, Enochum, Lothum, Noachum & Melchisedechum enumerasset, qui circumcisi placuerunt Deo, addit, hos etiam omnes, sine obseruatione sabbathi, Deo gratos fuisse,*

## §. XLVII.

Refuta-  
tur Dis-  
sensu Iu-  
stini.

**S**ententiam suam, nullum fuisse sabbathum ante Mo-  
sen, probare uult ex **IUSTINO MARTYRE**, qui in Dia-  
logo cum Tryphone dixit, Adamum, Abelem, Eno-  
chum, Lothum &c. sine circumcissione & sabbathi  
obseruatione Deo gratos fuisse. Sed quaeritur (1) u-  
trum **IUSTINVS MARTYR** idoneus sit testis, qui re-  
ferre possit, quae Adami, eiusque posterorum, fuerit  
publici cultus ratio. Nobis uidetur in hac quaestione,  
primum historicum Mo-  
sen esse euoluendum, qui  
*GEN. II, 2.* de sanctificatione & benedictione septimi  
diei egit. Deinde (2) nobis etiam uidetur necessarium,  
considerare, **B. MARTYREM** l. c. egisse cum Iudaeo  
Tryphone, qui exprobrauit Christianis, quod neque  
circumcissionem, neque sabbatha, Iudaeis recepta, ser-  
uarent. Cui **B. MARTYR** regerit, antediluuianos, A-  
damum, Abelem, Enochum, Lothum, Noachum  
& Melchisedechum, sine circumcissione & sab-  
bathi obseruatione Deo gratos fuisse. Manifestum  
satis esse putamus, **B. IUSTINVM** mente concepis-  
se illa sabbatha, quae Tryphon conceperat, nempe iudai-  
ca, & dixisse recte, talia sabbatha non celebrasse ante-  
diluuianos, quod, uti uerissimum, lubenter concedi-  
mus. Sed iudicent aequi lectores, an his obseruatis  
recte inferatur; Iustinus negat, antediluuianos Patriar-  
chas celebrasse sabbatha iudaica, qualia Tryphon cele-  
brauit; ergo negauit, eosdem nulla plane sabbatha cele-  
brasse, & plane neglexisse praeceptum paradisiacum.

Id

Id quoque (3) aduertendum est, IVSTINVM h. l. non agere Scripturae interpretem, qui Mosis uerba *GEN. II.* explicet, nec historicum, qui sabbathi originem referat, sed defensorem christianae religionis, qui Tryphonis obiectionem, *Christianos non celebrare sabbatha iudaica*, refutat. Hunc iure regessisse puto, Patriarchas antediluvianos sabbatha iudaica non celebrasse. Iudicet ergo, harum rerum aequus aestimator, quantum roboris Clar. BURNETI argumento insit.

## §. XLVIII.

**P**orro Clar. BURNETI testem suae sententiae adducit IRENAEVM, quem antediluvianis sabbatha denegasse putat. Accipe eius uerba, quae p. 267 leguntur: *Irenaeus eodem modo lib. 4. c. 30 sine circumcissione, sabbathis, caeterisque Mosaicis, Deo placuisse Patriarchas, asserit: Ipse Abraham sine circumcissione & obseruatione sabbathorum credidit Deo, & reputatum illi ad iustitiam, & amicus Deo uocatus est. Sed & Loth sine circumcissione. &c. Reliqua autem omnis multitudo eorum, qui ante Abraham fuerunt, iusti, & eorum Patriarcharum, qui ante Mosen fuerunt, sine his, quae producta sunt, & sine lege Mosis iustificabantur. Fatemur, B. IRENAEVM dixisse, Abrahamum, Lothum &c. sine circumcissione & sabbathorum obseruatione Deo fuisse gratos. Sed quo sensu id dixerat B. IVSTINVS, eodem sensu id repetit IRENAEVS. IVSTINVS dixit: antediluvianos non obseruasse sabbatha, Iudaeis a Mose iniuncta, & idem repetit IRENAEVS. Recte in notis ad IRENAEVM additur: easdem circumcissionis & sabbathorum rationes uidere licet apud Iustinum Martyrem in Dialogo. Uti itaque IVSTINVS dixit: antediluvianos non celebrasse talia sabbatha, qualia Tryphonis tempore a Iudaeis sunt celebrata,*

Irenaeus  
idem sentit  
cum  
Iustino.

brata,

brata, & Israëlitis in deserto praescripta; sic IRENAEVS idem eodem sensu retulit.

## §. XLIX.

Sabbatum Iudaeorum est signum sabbathi spiritualis primaevi.

**S**ED praeterea duo sunt ex IRENAEO obseruanda, quae nostram explicationem confirmant. Primum est, quod locutus sit de circumcissione & de sabbathis, tanquam signis, i. e. quae aliquid praefigurant. Circumcissio, ex mente IRENAEI, praefigurat circumcissionem spiritualem, & sabbathum perseverantiam totius temporis in cultu Dei. Audiamus eius uerba: *Dixit enim Deus ad Abraham, circumcidetur omne masculinum uestrum, & circumcideris carnem praeputii uestri, & erit in signum testamenti inter me & uos. Hoc idem de sabbathis Ezechiel prophetauit: Et sabbatha mea dedi eis, ut sint in signo inter me & ipsos, ut sciant, quoniam ego Dominus, qui sanctifico eos. &c.* Post pauca: *In signo ergo data sunt haec: non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam quae a sapiente artifice darentur; sed secundum carnem circumcissio, circumcissionem praefigurabat spiritualem. Etenim nos, ait Apostolus, circumcisi sumus circumcissione non manufacta. Et propheta ait: circumcidite duritiam cordis uestri. Sabbatha autem perseverantiam totius diei erga Deum deseruitionis edocebant. Aestimati enim sumus, ait Apostolus Paulus, tota die, ut oves occisionis; scilicet consecrati, & ministrantes omni tempore fidei nostrae, & perseverantes ei, abstinentes ab omni auaritia, non acquirentes, nec possidentes thesauros in terra.* Loquitur ergo IRENAEVS de circumcissione externa, quae Abrahamo fuit praeepta, quaeque fuit signum spiritualis circumcissionis omnibus post lapsum hominibus praescripta. Eodem sensu locutus est IRENAEVS de sabbathis Iudaeorum, quae sunt signa sabbathorum Christianorum.

Vti



Vti Iudaeos oportebat per totum sabbathum cessare a labore seruili; sic Christiani debent per totum suum tempus cessare ab operibus peccati, & ministrare omni tempore suae fidei, & perseuerare, & abstinere ab omni auaritia. Apparet itaque, IRENAEVM dixisse, antediluvianos neque circumcisionem externam, neque sabbatha iudaica, quae signa sunt, habuisse. Ex quo non sequitur, ergo Patriarchae non seruauerunt sabbatha a Deo in principio mundi instituta.

## §. L.

Alterum, quod in IRENAEO obseruatione dignum <sup>Sabbathum</sup> uidetur, est, quod dixerit, Christianorum sabbatha manifestare quietem Dei, de qua Moses *GEN. II, 2.* <sup>Christ. respicit quietem Dei.</sup> locutus est. *Manifestabatur autem, pergit IRENAEVS, & tanquam de eis, quae facta sunt, requietio Dei, hoc est, regnum, in quo requiescens homo ille, qui perseuerauerit Deo assistere, participabit de mensa Dei.* IRENAEI mens est, sabbathum Christianorum respicere quietem Dei, (quam quietionem interpres appellat) i. e. sabbathum Christianorum fundamentum suum habere in uerbis *GEN. II, 2. Benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit eum: quia in eo quieuit ab omni opere suo.* Ex hac obseruatione patet, Irenaeum agnouisse in uerbis Genesios allegatis, praeceptum esse sabbathum Christianorum, hoc uero est praeceptum paradisiacum, & post lapsum antediluvianis obseruandum; sed diuersissimum a sabbatho Iudaeorum. Fortasse dixeris, *sic omnes Christianorum dies sunt sabbatha.* Respondemus: hoc asserimus, sed putamus, ex septem diebus sabbathicis unum esse constituendum, in quo docemur, quae ratione reliqui dies ut sabbatha transigendi sint.

F

§. LI.

Tertullianus sentit **P**RODUCIT tandem Cl. BURNETVS TERTVLLIANVM, qui iisdem, ex eius opinione, insistat uestigiis, & praeceptum sabbathi paradisiacum negauerit. Haec sunt Cl. BURNETI uerba p. 267. *Tertullianus, inquit, iisdem insistit uestigiis, capite secundo & quarto aduersus Iudaeos; eosdemque cum recensuisset patriarchas, hos omnes non sabbathizasse ait: uerba non aduicio, cum longiuscula sint, quae consules, si placet, per otium. Verum est, TERTVLLIANVM cum IVSTINO MARTYRE & IRENAEO dixisse: Patriarchas ante Mosē non circumcisos fuisse, nec sabbathizasse. Sed Tertullianus distinxit luculenter inter sabbathum aeternum & temporale. Addamus eius uerba: Dicunt enim Iudaei, quod a primordio sanctificauerit Deus diem septimum, requiescendo in eo ab omnibus operibus suis, quae fecit, & inde etiam Mosē dixisse ad populum: Mementote diem sabbathorum sanctificare eum: omne opus seruile non facietis in eo, praeterquam quod ad animam pertinet. Vnde nos intelligimus, magis sabbathizare nos omni opere seruili semper debere, & non tantum septimo quoquo die, sed per omne tempus. Ac per hoc quaerendum nobis, quod sabbathum nos Deus uellet custodire. Nam sabbathum aeternum, & sabbathum temporale scripturae designant. Dicit enim Esaias propheta: Sabbatha uestra odit anima mea. Et alio loco dicit: Sabbatha mea profanastis. Vnde dignoscimus, sabbathum temporale esse humanum, & sabbathum aeternum censeri diuinum, de quo per Esaiam praedicat: Et erit, inquit, mensis ex mense, & dies de die, & sabbathum de sabbatho, & ueniet omnis caro adorare in Hierusalem, dicit Dominus. Quod intelligimus adimpletum temporibus Christi, quando omnis caro, i. e. omnis gens, adorare in Hierusalem uenit Deum patrem, per Iesum Christum filium eius, sicut per prophetam praedictum est: Ecce Profelyti*  
per

*per me ad te ibunt. Sic igitur ante sabbathum temporale, erat sabbathum aeternum praestensum & praedictum, quod est paradisiacum quomodo & ante circumcisionem carnalem, fuit spiritualis circumcisio praestensa. Conf. ad u. IVDAEOS p. m. 102. & sequ.*

## §. LII.

**E**X his luculenter apparere existimamus, Tertullianum <sup>Sabbathum aeternum & temporale Iudaicum.</sup> distinxisse inter sabbathum temporale, quod Israëlitis praeceptum, & aeternum, in primordio mundi a Deo institutum. Patet simul, Tertullianum intellexisse sabbathum temporale uel iudaicum, cum dixit, patriarchas ante Mosen non sabbathizasse. Ex iisdem Tertulliani uerbis intelligimus etiam, illud aeternum sabbathum, ab origine mundi institutum, obligare Christianos in N. T. Hoc enim docent uerba: *Unde nos intelligimus, magis sabbathizare nos omni opere seruili semper debere, & non tantum septimo quoquo die, sed per omne tempus.* Sic Tertullianus interpretatus est Iustinum & Irenaeum, quam sententiam de sabbatho Doctores ecclesiae & primi Christiani fouerint. Tandem idem docuit, quomodo sabbathum celebrare deceat Christianos, nempe debent sabbathizare (cessare) omni opere seruili (peccaminoso) non tantum septimo die, sed per omne tempus. Deus instituit sabbathum in mundi primordio, ut homines in eo discerent, quomodo reliquos dies sabbathizare & cessare deberent a malis operibus. Praeter Christianos etiam IVDAEVS PHILO de sabbatho in primordio mundi instituto egregie disseruit. *Postquam autem uniuersus hic mundus, inquit, perfectus est, iuxta perfectam naturam numeri senarii, sequenti die septimo pater bouem addidit, quem ubi laudauit, mox sanctum appellare dignatus est.*

*Est enim festus non unius populi regionisue, sed in uniuersum omnium: quae sola digna est ut dicatur popularis festiuitas & mundi natalis.*

## §. LIII.

Chrysoft.  
agnoscit  
Sabbathum pa-  
radisia-  
cum.

**B.** CHRYSOSTOMVS, qui seculo IV. floruit, & a quibusdam sabbathum primum negasse dicitur, agnouit, legem sabbathi ab initio mundi datum esse. Sic scripsit in Gen. Hom. X. p. m. 88. edit. Paris. T. II. *Et benedixit: in solo autem septimo hoc dixit, & apposuit: & sanctificauit illum, & ab aliis illum segregauit. Deinde docens nos diuina scriptura causam propter quam dixit: & sanctificauit illum: adiicit, eo quod in illo requieuerat ab omnibus operibus suis, quae coeperat Deus facere. Iam hinc ab initio doctrinam hanc nobis insinuat Deus, erudiens in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem operationem. Quippe ab hoc Dominus completo in sex diebus opificio suo, septimum benedictione dignatus est, & sanctificauit, eo quod in illo quieuerat ab omnibus operibus suis, quae facere coeperat. Non solum dicit Chrysostomus, quod Deus septimum diem sanctificauerit, quia in eo quieuit, sed etiam quod Deus ab initio mundi doctrinam hanc insinuauerit, erudiens in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem operationem. Plures addere possemus Patrum testimonia, quae, cum alibi explicanda sunt, hic praetermittimus.*

S. D. G.

*Coll. diss. A. 1, misc. 15*